

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta** : 2019

**Auteur(s)** : Jean sans Terre, Angleterre (roi)

**Bénéficiaire(s)** : Gautier de Coutances, Rouen (archevêque)

**Genre d'acte** : charte

**Authenticité** : non suspect

**Datation** : 1200, 7 juin

**Lieu d'émission** : Argentan

**Action juridique** : confirmation

**Langue du texte** : latin

## Analyse

Jean sans Terre, devenu roi d'Angleterre, confirme l'échange d'Andeli, et règle avec l'archevêque de Rouen quelques détails de juridiction restés en litige.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Bonnin Théodose, *Cartulaire de Louviers*, Évreux, Hérissé, 1870-1873, 6 vol., t. 1, n° XCI, p. 129-131.

Texte établi d'après a

Johannes, Dei gratia, rex Anglie, dominus Hibernie, dux Normannie, Aquitanie, comes Andegavensis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, comitibus, baronibus, justiciariis, vicecomitibus et omnibus baillivis et fidelibus suis, salutem.

Sciatis nos concessisse et presenti carta confirmasse Deo et beate Marie, et Waltero, Rothomagensi archiepiscopo et successoribus ejus in perpetuum, escambium factum inter bone memorie regem Ricardum fratrem nostrum et ipsum archiepiscopum de Andeleio, pro quo recepit idem archiepiscopus villas de Diepe, Butaille et de Lovers et forestam de Aliermont, et molendina Rothomagi, cum omnibus pertinentiis eorum, sicut carta predicti regis Ricardi, fratris nostri, testatur, cum determinacione querelarum que exorte sunt ex tenore carte predicte fratris nostri inter nos et predictum archiepiscopum, videlicet de prisa vini apud Diepe, de haia de Danpere, de vivario apud Rothomagum super calceam, de placitis ad spatam pertinentibus, de retrobano.

De prisa vini apud Diepe sic erit : quia publice testificatum fuit coram nobis et predicto archiepiscopo quod prisa illa injuste capta fuit et capi solebat, et tam ex parte nostra quam ex parte archiepiscopi concessum est quod nunquam de cetero, neque tempore werre, neque tempore pacis, a nobis vel heredibus nostris vel predicto archiepiscopo et successoribus suis capietur.

De haia de Dampere sic erit : quod sive archiepiscopus jus habuerit in haia illa per cartam predicti R. regis, fratris nostri, sive non, nos eam illi et successoribus suis quietavimus in perpetuum, ne occasione illius haie possit in posterum suboriri contentio inter nos, et heredes nostros, et ipsum archiepiscopum et successores suos.

De vivario Rothomagi sic erit : quod nos ipsum vivarium et piscariam ejusdem vivarii in manu nostra retinemus, ita quod nihil de aqua vivarii facere possimus ad dampnum et nocumentum molendinorum predicti archiepiscopi.

De placitis ad spatam pertinentibus sic erit : quia ecclesiam Rothomagensem super omnes alias Normannie venerari debemus, diligere debemus et tueri, sicut matrem omnium ecclesiarum Normannie, et sicut illam unde ducatus nostri honorem accepimus et antecessores nostri, sive ipsa ecclesia Rothomagensis jus habuerit prius in placitis illis sive non, nos ad honorem Dei et Beate Marie concessimus ipsi archiepiscopo et successoribus suis in perpetuum

omnia placita illa, et omnem justiciam placitorum, ita tamen quod justitia fiat per visum capitalis senescalli nostri Normannie si presens fuerit, vel proximi ballivi cum ad hoc per archiepiscopum vocatus fuerit, nihil inde facientis nisi ut tantummodo videat justiciam fieri. Emendationes autem omnes et misericordie ex predictis placitis provenientes, erunt ipsius archiepiscopi, et si ballivus noster ad vocationem ipsius archiepiscopi non venerit, erit in misericordia nostra ; et nos vel senescallus noster aliquem mittet sine delatione, cum inde requisitus fuerit, qui videat justiciam fieri in curia ipsius archiepiscopi.

De retrobano Normannie sic erit : Quod cum oportuerit summoneri retrobannum secundum consuetudinem terre archiepiscopus per nos vel per litteras nostras, vel per capitalem senescallum nostrum vel per litteras ejus summoneri debet, ipse archiepiscopus summonebit retrobannum secundum consuetudinem terre et ducet vel duci faciet ; et si retrobannum plenarie non venerit, justitia erit archiepiscopi de illis qui non venerint, et emendationes, et eschaete ; et archiepiscopus non poterit relaxare justiciam sine nobis.

Preterea de passagio de Diepe sic erit : Quod omnes illi qui attulerint litteras nostras de passagio ad forum nostrum, passagium habebunt ad forum nostrum.

Testibus : Rannulfo, comite Cestrie ; Willelmo Marescallo, comite Pembrocii ; comite Roberto Sagiensi ; Willelmo de Humeto, constabulario Normannie ; Rogero de Toeneio ; Roberto de Harecourt ; Johanne de Pratellis et Petro fratre ejusdem ; Roberto de Turnhan.

Datum per manum H., Cantuariensis archiepiscopi, nostri cancellarii, apud Argentonium, vij<sup>o</sup> die junii, regni nostri anno secundo.